

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis**

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et  
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In  
sex partes tributæ

Qvae Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius  
Baptismo ad finem vsque Prædictionis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1612**

7. De vocatione generali, qua Christus Dominus omnes homines vocat ad  
seipso abnegandos, & crucem propriam tollendam, & ipsum sequendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

libus adeo præmiis afficis, æquum est, vt & ego in hac vita tibi obsequar, vt eò peruenire liceat, vbi gloriâ tuâ fueris. Amen.

## MEDITATIO VII.

DE V N I V E R S A L I V O-  
catione, qua CHRISTVS Dominus  
omne genus hominum ad seipsos  
abnegandos, & crucem pro-  
priam tollendam  
vocat.



VONIAM S. Ioanne Matth.16.

24.

Marc.8.34.

Luc 9.23.

et. Iean.3.8

test. a In hoc aperuit fi-  
lius D. i. vt dissoluat ope-  
ra Diaboli, præmittemus  
vocationem, qua dæmon  
homines ad se sequendum  
contra Christi crucem in-  
uitat: subiiciemus primo ipsius Christi voca-  
tionem: vt vtram se conferentes intelliga-  
mus, vtrum audire expeditat & sequi. & vera-  
que meditatio multum adferet lucis ad recte  
faciendam status vita Electionem: qui  
nostræ saluti maximè fit con-  
ueniens.

## PUNCTVM I.

a Ioan. 14.  
30.B. P. Ignat.  
z hebdom.  
die 4.b r. Ioan. 2.  
26.

I.

c Psal. 73. 23

II.

d r. Petr. 5. 8

D. August.

Prefat in

Psal. 96.

**P**RIMVM conspiciendus est a huius mundi Princeps LUCIFER, in igneo suo throno, fumo plenissimo, sedens, asperitu horribili, vultu tremendo, innumeris demonibus, harum tenebrarum principibus stipatus, in id omnibus conspirantibus, ut ver illo contra Christi crucem erecto, bellum in eum moueant. In quem finem tentationum laqueos aduersus homines parat, ad tria illa via tia illos inducentes, quæ S. Ioannes b concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiæ vita appellat: Primùm ad carnis voluptates alliciunt, quæ circa Gulam & Luxuriam versantur; deinde ad diuitias, & honores, qui avaritiae & ambitionis sunt materia deniq; ad vitæ superbiæ, quæ propriæ excellentiæ est appetitio, cum præsumptione de seip sis, ac de iudicio proprio. Vocatur vero superbiæ vita, quia magna, viuax, & tumultuaria est: continuò viuens, c crescentis reliqua que mundi huius vita & peccata proferens.

**M**OXA rabies illa perpendenda est, quâ d D<sup>o</sup>m<sup>i</sup>n<sup>o</sup>nes, vt rugientes leones, circumveunt mundum viuierum, nulli parcentes angulo, querentes quem deuorent. Siue persecutionum violentiæ, sicut leones; siue apparentium rationum astutia, sicut serpentes, vt deceptos ad suas partes pertrahant. Qua arte ingentem edunt stragem, quia innumeri homines ad eos

eos aduolant : alij concupiscentiâ carnis & eius voluptatum ducti : alij diuitiarum & honorum, alij superbiæ & elationis vitæ : ac denique ad eius vexillum transeunt, quotquot e cruci Christi sunt inimici. de quibus ait e Phil. 3.18.  
*Apostolus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum : quia finis erit interitus & mors æterna.*

HAC consideratione ad commiserationem, & lacrymas exemplo me Apostoli excitabo, quod tantus sit eorum numerus, qui ad partes Doæmonis transeant. obstupescens eorum stultitiam, qui credentes, se in seruitij & laboris sui præmium, nihil nisi accepturos inferni tormenta, eum nihilominus sequantur. Circumspiciens vero totam vitam meam præteritam & præsentem, deflebo, quod aliquando in eadem fuerim deceptione: Deumque rogabo, ut ab ea me liberare velit. Amen.

## PUNCTVM II.

**C**ONSIDERANDVS deinde Christus Dominus noster in humili quodam loco, vultu amabili & iucundo, discipulis & aliâ multa hominum turba circumdatus, atque omnibus dicens : a *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Quibus verbis ad tria alia omnes inuitat, iis contraria, quæ Princeps huius mundi proponebat.

<sup>a</sup> Matt. 10.<sup>24.</sup><sup>a</sup> Lus. 9.23.

I.

*Primum ad propriam vniuersitatis abnegationem, triplicis illius mundi Concupiscentiae, vitiorumque ab illis manantium mortificatione: ut quisque videlicet omnes sensuum voluptates, diuitiarum cupiditatē, omnem inanis honoris, internaque superbia & propriæ excellentiæ appetitionem & presumptionem, iudicium denique proprium & voluntatem, abneget atque mortificet.*

II.

*DE INDE ad propriam crucem tollendam inuitat: ut prompti nimis sint ad triplicis illius mundi concupiscentiae contraria amplectenda: ad labores videlicet doloresque tolerandos: paupertatem, contemptum, & omnigenus humiliationis & subiectionis: quia spiritualis erux Christi his tribus partibus constat. Paupertate, contemptu & dolore quanuis earum vnamquamque plures molestiarum differentiæ comitantur: Quamcumque vult Christus quotidie ab omnibus intolli, ut quisque eam partem ferat, que eo ipso die contigerit; idque cum persecuerant a vi que ad mortem.*

III.

*TERTIUS denique inuitat omnes ad virtutum suarum & exemplorum, quæ ipse præbet, in abnegatione, & propriæ crucis baulicatione, imitationem: quia detruit, nullum omnino ad suum comitatum & scholam admittere, qui eam non statuerint amplecti, & sub tali suo vexillo militare: ideoque protinus est: b *Qui non bauliat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.**

pulus: & c non est me dignus.

c Mat. 10.38

Mox expendam, quām sit hēc vocatio rationi consentanea. Si enim ego sum imprōbus & ab vtero ad vitia peccataque propensus; æquū omnino est, meipsū ita abnegare, vt prauas omnes propensiones mortificem: quō à malis & incommodis, quæ ab eis proueniūt, eripiar. Et, si voluptates, diuitiæ, honores, & huius mundi excellentiæ, fomentum sunt iniqitatum; iustum est inordinatum illorum amorem exuere, vt à tot miserijs sim liber. Et, si necesse quoq; est, multas mihi in hac vita calamitates, dolores ac tribulationes accidere: quid prudentius fecero, quām si vel ex necessitate virtutem faciens, Crucem meam libenter amplectar, qua vitam promerear æternā? Ac denique si Christus Dominus noster è cœlo descendit, vt crucem suam ferret, dolores, paupertatem, contemptum amplectens: quid magnum fecero, si cundem sequar, id faciens, quod Dux meus, Rex meus, & Deus meus, vt me exemplo suo permoueret, effecit? O Dux supreme, siquidem me ad id vocas, vt me ipsum abnegem, accede Domine, vt tecum contra me ipsum certes, necesse est enim, vt fortior me sit is, qui me vincat. Et quandoquidem id à me requiris, vt quoridie crucem meā am portem; impetrare etiam gratiam tuam, ne succumbam, aut ab ea oppressus deficiam. Amen.

## PVNCTVM III.

**T**ERTIÒ considerandæ sunt tres illæ eff. cacissimæ rationes, quibus vñus est Christus Dominus, vt hanc vocatio-  
nem nobis persuaderet.

I.  
a Lu. 9.24. **P**RIMA est. a Qui voluerit animam suam sal- uam facere, perdet eam; & qui perdiderit illam propter me, inueniet eam. quasi diceret distin-  
ctius: salus vestra & vita æterna in eo est pos-  
ta, vt vos ipsos abnegantes, crucemque vestri  
portantes me èo vsq; sequamini, vt, vbi necel-  
se fuerit, vitâ hanc temporalem mei causa ex-  
ponatis; sicut ego exposui. Et qui hoc modo ei  
exposuerit, non omnino eā perdiderit, quia  
perfectiorem hanc æternamque recipiet. Ba-  
dem ergo ratione imaginari licet, Christum  
mihi dicentē: qui fortunas suas, honorem, de-  
litias, amicos, & quodcunq; temporale bonū  
propter me perdiderit, eadē postmodum in-  
ueniet: Contrà qui eadem conquirere, aut co-  
seruare, contra voluntatem meā voluerit: ei  
perdet, & animam simul cum illis in æternū.

II.  
b Mat. 10. 26. **S**ECUNDA ratio est: b Quid enim prodest ho-  
mini, si mūdum vniuersum lucretur; anima veri-  
sue detrimentum patiatur? aut quam dabit cō-  
mutationem pro anima sua? Atque si nobis di-  
ceret: Si Satanæ suggestionem, non verò me-  
am vocationem sequamini, animas vestras  
perdetis in æternum. Quid igitur vobis po-  
fuerit, omnes huius mundi delitias, honores,  
diuitias, & excellentias consecutos fuisse; si  
tandem anima vestra pereat? Interrogate dā-  
natos

natos ipsos, qui iam in inferno cruciantur,  
& respondebunt: c Quid nobis profuit super-  
bia? aut diuitiarū iactantia quid contulit nobis?  
delitiae, honores, dignitates, & quicquid bo-  
norum in terra est, quam nobis utilitatem at-  
tulerunt? Transferunt omnia illa tanquam um-  
bra, & tanquam nuntius præteriens: nunc ve-  
rò æternis his tormentis cruciamur.

c Sap. 5.8.

TERTIA ratio est: d Filius enim hominis ve-  
rurus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & d Mat. 16.  
tunc reddet unicuique secundum opera sua. Quasi  
nobis diceret: Ego venturus sum cum meæ cru-  
cis vexillo: ad hunc mundum iudicandum: &  
quos reperero, soluisse illam mecum portare ad  
æternum ignem in demonum societatem, cuius  
partes securi fuerint, condénambo: eos verò, qui  
voci meæ obaudientes, crucem meam amplexi  
fuerunt; ad æterni Patris mei gloriæ deducam.

III.

HAS tres rationes benè perpendens, vtrā-  
que vocationem Luciferi, s. & Christi confe-  
ram, si nemque infeliciissimum eorum qui illū;  
feliciissimum verò eorum qui hunc sequuntur:  
cum itaq; (ipso Christo Domino teste) e sit im-  
possibile simul duobus Dominis seruire, Deo &  
Mamone, Christo, vanisque huius mundi ho-  
noribus: nec possibile est Iub duobus adeò in-  
ter se repugnantibus ducibus militare; con-  
tendam omnino aures meas Luciferi sugge-  
stionibus occludere; voci verò Christi au-  
dientes præbere; me ipsum, ut ipse suadet, ab-  
negando; meam crucem bainlando, ac su-  
prenum Duxem meum, sub eius vexillo

c Mat. 6.24

prom.

promptissimè sequendo. Ad quod præstandi  
iuerit quoque expendere, quid in hora mor-  
tis, & cùm ante Christi tribunal in die Iudicii  
constituar, fecisse; quem secutum me fuisset  
vellem? diuitias, an paupertatem? honores  
an contemptum? delitias an afflictiones? me  
voluntatem expleuisse, an eandem meque ipsius  
sum abnegasse? & illud porrò nunc eligam,  
quod tunc elegisse, & amplexus esse vellem.

## IV.

f Sap. 5.7.

g Mat. 11.

28.

NE verò tam procul, ad mortem & iudi-  
cium rem hanc & felicem electionem differ-  
re videar, id vnum addam, quod valde ad re-  
facit: in Luciferi vocatione, quæ in specie de-  
litias, honores, diuitias, libertatem, & requi-  
em promittere videtur: omnia tamen tor-  
cerbitatibus commixta esse, vt re ipsa sint  
difficillima: nam ipsimet damnati apud sa-  
pientem fatentur: f *Lassati sumus in via ini-  
quitatis & perditionis, & ambulauimus via  
difficiles.* Contrà verò Christi vocatio, ethi in  
specie sit abnegatio, & crux, ita tamen à diui-  
na prouidentia præscripta est, & cuiusque  
humeris ac viribus proportionata, tantaque  
cœlestium gratiarum iucunditate respersa,  
etiam in hac vita iucundissima, ac leuissima  
indicitur; Nam & ijs, qui à partibus dœmo-  
nis steterunt, magnum est leuamen ad Christi  
castra transfire: quos ipse Christus hac spe ad  
se iuitat, cùm nō dicit: g *Venite ad me omnes qui  
laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.  
Tollite iugum meum super vos, & discite a me,  
quia mitis sum, & humilis corde: & inueni-*

tum

tis requiem in animabus vestris. Iugum enim  
meum suave est, & onus meum leue. Quanuis,  
inquit, iugum meum sit sui ipsius abnegatio,  
est tamen suave; & quanvis crux mea sit onus,  
est tamen leue, modo humiles esse velitis &  
mar sueti; sicut me esse videtis: Ego enim hū hu-  
milibus eam gratiam impetrō, ut quicquid  
aliās graue est & asperum verē leue reddatur  
ac iucundum. O Magister dulcissime, cuius  
humeris mea, & mortalium omnium crux  
innititur, concede, quæso, mihi, tuam vt vo-  
cationem audiam, laboresque crucis ample-  
ctar, prouidentiæ tuæ relinquens, vt leuamen  
& auxilium ad ferendum opportunū tempori  
adferas: vt eligens, dum vivo, id, quod mortis  
tempore optarem elegisse, accipiam in iudi-  
cio tuo coronam gloriæ. Amen.

h Iac. 4.6,

## MEDITATIO VIII.

DE RESIGNATIONE AD  
Christi vocationem amplectēdam,  
& renuntiandum omnibus, vt  
quis in eius discipulum ad-  
scribatur, necessaria.



Voniam Christus Dominus nunquā  
arocandis ad se sequendum homi-  
nibus desistit, aptissimam hic dispo-  
sitionem indicabimus, quam habere  
debemus, vt eō contendamus, quo

san

B. P. Ignatius hebdomad.  
4. die 2.